

vel in commune detrimentum fidei aut religionis. Palao l. c. n. 3, cum communi aliorum. Ratio est; quia subintrare videtur jus naturale dictans, bonum commune religionis, et publicæ potestatis legislativæ præferendum esse bono alicujus privati, indeque a tali legem humanam etiam in extrema vel gravi necessitate cum dispendio vel periculo vitæ, famæ, aut honorum fortunæ observari debere in casu, quo alias sequeretur detrimentum commune religionis, aut contemptus potestatis legislativæ. Plura de obligatione legum, et excusatione ab eadem, item de tota materia legis ample et exacte tractavimus in lib. I. *Juris can.* tit. II, *de Constit.*

REGULA V.

QUOD LATENTER, AUT PER VIM, VEL ALIAS ILLICITE INTRODUCTUM EST, NULLA DEBET STABILITATE SUBSISTERE.

1. *Quomodo hæc regula intelligenda?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula sit intelligenda et quis proprius illius sensus sit? Resp. I. Quamvis vi hujus regulæ (cui ex parte concordat illa 64, *de Reg. Jur.* in 6, *quæ contra jus fiunt, utique pro infectis haberi debent*), videantur omnia, quæ aliquo ex modis a regula allegatis fiunt, ipso jure nulla et irrita esse, ob verba: « nulla debent stabilitate subsistere »: tamen juxta Gloss. et communem doctorum non in mox dicto, sed in hoc sensu intelligenda venit regula, quod vel ipso jure sint nulla, vel si de jure subsistant, tamen per sententiam judicis ad instantiam partis annullari possint et debeant. Quænam vero ipso jure sint nulla, et quæ primum annullanda, partim ex infra adducendis exemplis, partim ex declaratione reg. 64, *jur.* in 6, patebunt, partim dicta jam sunt in nostro jure canonico lib. I, tit. 40. *De his, quæ vi, metusque causa fiunt.* Item lib. II, tit. 14, *de Dolo et contumacia.*

2. *Latenter, idem ac clam.* — Interea pergitur ulterius ad declaranda regulæ verba: et quidem terminus *latenter* coincidit cum termino *clam*, quem textus in ff. *quod vi vel clam* latissime explicat; præcipue vero, illud *clam* fieri dicitur, quod taliter fit, ut nequeat venire in notitiam ejus, cujus interest, ut sciat, l. *Clam possidere*, 6, ff. *de Acquir. possess.* Omnia si quidem, quæ sic clam et latenter, sicque dolose fiunt, suspecta sunt de malo, juxta illud Salvatoris *Joan.*, III, 20.

Omnis, qui male agit, odit lucem. Hinc l., 4, ff. *quod vi aut clam*, id, quod vi, aut clam fit, restituit, aut destrui jubetur, etsi cæteroquin tale quid agendi quis jus habuerit: « tueri enim jus suum debuit, non injuriam comminisci »: subdit ibidem prætor. Porro in alio juris sensu etiam illud *latenter*, et *clam* fieri dicitur, quod seclusis arbitris et testibus fit, habentque clandestine facta plerumque præsumptionem injustitiæ, l. fin. ff. *de Ritu nupt.*, et 54, ff. *de Administrat. tutorum.*

Per terminum regulæ, « aut per vim, non intelligitur vis absoluta, aut violenta coactio, quæ omnem prorsus consensum excludit, cum taliter violentatus aut coactus « magis pati, quam agere convincatur, » ut dicitur c. *Sacris*, 5. *De his, quæ vi metusque causa fiunt*, sed intelligitur vis compulsiva, et impulsiva, quæ idem est ac metus, et quidem ad propositum gravis, cadens in virum constantem, ex quo gravi metu si quid fit, juxta regulam nostram stabilitate carere debet: non item quæ fiunt ex levi metu, qui hic non attenditur.

3. *Verbis per vim intelligitur metus gravis.* — Per verba: « Vel alias illicite introductum est, » intelliguntur ea, quæ contra juris prohibitionem, legemque divinam aut humanam facta apparent, quia cuncta hæc illicita sunt. His conformiter.

4. *Quid per verbum illicite?* — Resp. II. Proprius sensus regulæ sequens est: « Omne illud, quod latenter seu clam, et dolose vel per metum gravem ab extrinseco injuste incussum aut alias contra juris prohibitionem introductum aut gestum est, aut ipso jure nullum et irritum, aut instante parte annullandum, et irritandum est, sicque firma stabilitate caret. » Declaratur et confirmatur exemplis: Sic enim primo, matrimonium contra decretum Tridentinum sine parochio et testibus *clam*, seu *clandestine* contractum, aut comminatione mortis, vel alterius gravis mali, sicque vi seu metu gravi in virum constantem cadente extortum ipso jure nullum et irritum est. Trident. sess. 24, cap. 1, *¶ Qui aliter. de Reform. Matrim. juncto c. Cum locum 14, de Sponsalib. et matrim.*

5. *Qui verus sensus regulæ? Declaratur exemplis.* — Sic pariter secundo, alienationes rerum immobilium, aut pretiosarum Ecclesiæ contra juris prohibitionem sine debita juris solemnitate factæ, invalidæ sunt ipso jure, can. *Apostolicos* 13, cum seqq., can. 12, q. 2 et fusius videndum l. 3, t. 13. *de*

Rebus Eccl. alien. § 1. Sic tertio, professio religiosa metu gravi injuste incusso emissa ipso jure nulla habetur c. 1, *de His, quæ vi.*

6 et 7. *Contractus etiam jurati, qui sine peccato servari non possunt, sunt ipso jure nulli.* — Sic 4, universaliter omnes illicite facti contractus illi, qui sine peccato observari non possunt, sunt ipso jure nulli: cum nemo ad peccandum obligari valeat, etiam si intercesserit juramentum, quia « non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum » c. 58, *de Reg. jur.* in 6.

8. *Ceteri contractus illicite facti de jure valent, sed rescindi possunt.* — E contra etsi plerique contractus, pacta, conventa, et transactiones, qui sine peccato servari possunt, gravi metu injuste incusso initi de Jure valeant quidem; quia metus etiam gravis non tollit voluntarium, sed verum relinquit juxta tritum illud, « coacta voluntas est voluntas, » uti cum communi aliorum bene advertit Glossa, n. c. 2, v. *Coactus de His quæ vi*: tamen datur contra illos, « quod vi metusque causa, » et instante adversario rescindi debent, l. 1, *Quod metus causa*, juncta l. *Si mulier*, 21, § 1, ff. eod. et amplius diximus lib. I, tit. XL, *de His, quæ vi, metusque causa*, § 2, a n. 36.

9. *Fallit regula in actibus ex speciali dispositione insolubilibus.* — Quæritur II. Quas exceptiones seu fallentias patiatur regula V? Resp. Præter alias, etiam sequentes: primo, in illis actibus et contractibus, qui semel validi, vel ex natura sua, vel ex juris dispositione non amplius annullari valent, etiamsi contra juris prohibitionem illicite fuerint facti; nam « multa fieri prohibentur, quæ, si fuerint facta, obtinent roboris firmitatem. » C. *Ad apostolicam*, 16. *de Regul.* quemadmodum patet in matrimonio, quod etsi sine præviis denuntiationibus, vel diebus prohibitis, aut in statu peccati mortalis illicite contrahatur, tamen etiam sic contractum amplius annullari non potest. Item in sacramentis baptismi, et ordinis, utpote quæ etiam ex metu gravi injuste incusso perpetuo valent, hoc ipso, quod juxta dicta metus non tollat voluntarium, et consequenter non impediatur indelebilem characteris impressionem, prout doctores communiter advertunt.

10. *Item quando metus gravis ab intrinseco, vel juste incutitur.* — Fallit secundo, si metus etiam gravis non ab extrinseco, puta ab alio homine, sed ab intrinseco, ab ipso metuente ex propria passione vel natura ob timorem

imminentis mortis, ob morbum, naufragium, etc., Fallit tertio, in casu, quo metus gravis ab extrinseco quidem, juste tamen incutitur. Fallit quarto, si metus licet gravis non ad extorquendum tamen consensum, sed ad alium finem obtinendum injuste incutitur: ob hujusmodi enim metum actus et contractus nec invalidi sunt, nec invalidari possunt, prout amplius diximus et probavimus, lib. I. tit. XL, *de His, quæ vi, metusque causa*, n. 26, et seqq.

11. *Datur dolus bonus, qui contractibus non obest.* — Fallit quinto, in dolo bono et justo, quatenus prudens solertia, pia astutia et machinatio est ad se, vel alios juste defendendum, ad propria vel aliena jura tuenda, vel recuperanda; sicut enim justus metus sine ullo præjudicio actuum et contractuum etiam ab intrinseco incuti, sic pariter justus dolus adhiberi valet, can. *Dominus*, 2, cau. 23, q. 2, l. 1. § *Non fuit*, 3, ff. *de Dolo malo*, quo dolo usus est sanctus Paulus dum dixit; *Cum essem astutus, dolo vos cepi*, II, ad *Cor.* XII, 16.

REGULA VI.

IN IPSO CAUSÆ INITIO NON EST A QUÆSTIONIBUS INCHOANDUM.

1. *Per Quæstiones in regula intelliguntur tormenta, seu tortura.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, totam difficultatem circa hanc regulam in eo consistere, quid hic per, « Quæstiones, » intelligatur; cum in jure « Quæstiones » nomine subinde etiam ipsa judicia publica veniant, eo quod in iis, an reus nocens vel innocens sit, quæritur, l. *Facturus*, 1, ff. *de Origine juris.* et Gonzalez, in hanc regulam n. 2, probare nitatur, per quæstiones hic intelligi querelas seu lamenta: quibus non obstantibus Resp. I. Per terminum « a quæstionibus » hic intelligi tormenta, vulgo torturam. Glossa hic communiter recepta, arg. l. *Item ad Labeonem*, § 41, ff. *de Injur.* ibi: « Quæstionem intelligere debemus tormenta et corporis dolorem ad eruendam veritatem. »

2. *Verus sensus regulæ quis?* — Resp. II. Verum regulæ sensus est: « In causa seu processu criminali non est inchoandum a tortura: » sed habenda sunt prius indicia, sufficientes præsumptiones, aut semiplena,

vel plus quam semiplena probatio. Gloss., cit. textu satis claro, l. 1, ff. de *Quæstionibus*: ubi dicitur: « Non esse a quæstionibus incipiendum: » et statim § 1, sic habetur: « Ad tormenta ita demum venire oportet, cum suspectus est reus, et aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio deesse videatur. » Ratio regulæ est, quia si causa seu processus criminalis sine præcedentibus sufficientibus præsumptionibus, vel semiplena probatione statim a tortura inchoaretur, sæpe innocentes eidem subicerentur, ipsamque vitam amittere deberent, si uti subinde contingit, ad vitandam vehementiam doloris ex tortura provenientem, crimen, quod non commiserunt, faterentur.

3. *Tortura servato debito modo laudabilis est.* — Cæterum licet Ludov. de Vives, lib. XIX, cap. vi, S. Augusti de *Civitate Dei* ex primum dicta, et alii rationibus præsertim illis, quæ l. 1, § 23, ff. de *Quæstionibus*, referuntur illis verbis: « Nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam tormenta pati velint. Ita fit, ut vario modo fateantur, et non tantum se, verum etiam alios comminentur; » torturam penitus e medio tollendam opinetur: tamen opinio hæc tanquam singularis contra clara jura antiqua et nova, torrentem doctorum, et universalem tribunalium praxim militans merito non attenditur, et torturæ usus debite servatus intuitu boni communis et publici omnino approbatur ac laudatur.

4. *Jura ex iis, quæ ordinarie vel frequenter accidunt conduntur.* — Nec refert, quod occasione torturæ enarrata in cit. l. 1, subinde eveniant, et innocentes damnentur: quia hoc per accidens est, et, si torturæ modus debitus servetur, raro contingit; jura autem non secundum ea, quæ raro, sed juxta ea, quæ frequenter fiunt, conduntur l. *Ex his*, 4, ff. de *Legib.* ibi: « Ex his, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur. » et l. *Nam ad ea*, 5, ff. eod. ibi: « Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ et frequenter et facile, quam quæ perraro eveniunt. » Unde etiam in cit. l. 1, ff. de *Quæstionibus*, non obstantibus absurdis ibidem allegatis per accidens subinde contingentibus, tortura approbatur.

5. *Ad debitum modum torturæ requiritur I, ut constet de corpore delicti.* — Dicitur autem notanter: « Torturæ usus debite servatus »

approbatur. Plura siquidem requiruntur, ut tortura debite adhibeatur, ne in abusum et crudelitatem abeat, plusque damni, quam utilitatis afferat. Inter quæ ex jure et criminalistis potiora succincte adducimus. *Primo* igitur et ante omnia debet constare de corpore delicti, id est, debet constare, quod delictum, de quo hic et nunc quæritur, et cujus arguitur subjiendus torturæ, revera a quocunque tandem sit commissum; nam donec de hoc certe constet, processus criminalis inchoari nequit l. 1, § 24, de *Quæstionibus*, juncta constitutione pœnali Carolina, art. 6.

6. *II. Ut crimen sit atrox.* — *Secundo* requiritur, ut crimen sit atrox, et capitale pœnam mortis, vel æquivalentem, aut gravissimam corporalem, quæ saltem major sit ipsa tortura, inducens, l. *Edictum*, 6, ff. de *Quæstionibus*.

7. *III. Ut adsint præcedentia sufficientia indicia.* — *Tertio* requiritur, ut adsint indicia, præsumptiones prudentes, aut semiplena probatio contra subjiendum torturæ: id ipsum totum, quod vult regula nostra, videlicet ut in ipso causæ initio a quæstionibus, seu a tormentis vel tortura non inchoetur; seu ut Rubrica hic loquitur: « Tormenta indicia non præcedentibus inferenda non sunt: » cui concordat clarus textus l. 1, ff. de *Quæstionibus*, supra n. 2, allegatus.

8. *IV. Ut reus non sit personæ.* — *Quarto*, ut reus juris privilegio non sit persona exempta; quales sunt personæ illustres, et nobilitate vel militia præclari, l. *Milites*, 8, pr. et l. *Divo*, 11, c. de *Quæstionibus*, nisi sint rei criminis excepti v. g. læsæ majestatis, perduellionis, magiæ, etc., l. 16, c. de *Quæstionibus*, l. 4, c. ad *Legem Jul. majest.* Item fœminæ prægnantes, l. *Prægnantis*, 3, ff. de *Pœnis*. Valetudinarii quibus tortura vel mortem, vel irreparabile damnum in valetudine allatura merito timetur, l. *Si quis*, 3, § 7, ff. de *S. C. Silan.* Impuberes, l. de *Minor.* 10, pr. ff. de *Quæstionibus*. Senes decrepiti, viribus ita imbecilles, ut tormenta sine periculo mortis sustinere non valeant, aut memoriæ tam debilis, ut rerum a se, vel aliis gestarum verisimiliter non meminerint, c. l, 3, § 7, ff. de *S. C. Silan.*

9. *V. Ut delictum aliter probari nequeat.* — *Quinto* requiritur, ut delictum aliter nequeat plene probari, l. *Divus*, 9, pr. ff. de *Quæstionibus*, cum tortura solum introducta sit in subsidium aliarum probationum.

10. *VI. Ut reus non reddatur inutilis.* —

Sexto, ut reus ita servetur illæsus, ne omnino reddatur inutilis, uti cum Farina. *Præx. crimen*, q. 38, n. 54, amplius dilucidat Clarus, qui hæc dicta, et cuncta alia torturam concernentia exactissime pertractat.

11. *VII. Ut servetur proportio in tortura.* — *Septimo* requiritur, ut torquendi non omnes æqualiter, sed pro diversitate delicti, indiciorum et personæ gravius vel mitius torqueantur, l. 10, § 3, ff. de *Quæstionibus*, Carolina, art. 51, ubi ordinatur, « quod tortura debeat institui secundum qualitatem indiciorum, et suspicionum: item secundum conditionem personæ plus aut minus semel aut sæpius, durius aut levius ex arbitrio boni et discreti judicis inferri. »

12. *Contra judicem non servato juris ordine procedentem datur appellatio et actio injuriarum perpetua.* — Quod si judex requisita ad torturam non servet, aut modum a jure præscriptum transgrediatur, appellare potest reus, cau. 2, q. 6, can. *Non solent*, 30, et competit ei actio injuriarum contra judicem, l. *Nec magistratibus*, 32, ff. de *Injur.* quam actionem non annuam duntaxat, sed perpetuam esse docet cum Manzio Haunauld., t. VI, de *J. et J.* tract. III, a n. 464.

13. *Observanda in religione nostra circa torturam.* — Porro, quæ circa torturam in processu criminali in nostra religione observanda sint, specialiter adduximus, lib. V, tit. I, § 8, a n. 472. Cæterum, quia præsens regula VI, plus aliud non continet, quam ut in causa seu processu criminali sine præviis indicia et præsumptionibus a tortura non statim inchoetur, nec exempla juris pro ejus majori declaratione, nec fallentiæ circa eam, nec quid amplius adducenda videntur; præsertim cum de tortura incidenter huc spectante sufficienter jam dictum sit.

REGULA VII.

QUIDQUID IN SACRATIS DEO REBUS ET EPISCOPIS INJUSTE AGITUR, SACRILEGIUM REPUTATUR, QUIA SACRA SUNT, ET A QUOQUAM VIOLARI NON DEBENT.

1. *Terminus sacra, quid?* — Quæritur I. Quomodo intelligenda hæc regula, et quis verus sensus illius sit? Resp. I. Hac regula nil aliud dicit, quam quod omnis ille sacrilegium committat, indeque sacrilegus sit, qui rem vel personam Deo sacram injuste violat, læditi, offendit, irreverenter tractat, etc. Ubi

Res late sumitur, prout etiam loca sacra, v. g. Ecclesias, cœmeteria, etc., comprehendit, uti cum Glossa hic doctores communiter advertunt. Intelligitur enim hic per terminum « Deo sacra seu sacra » omne illud, quod Deo, ejusque cultui directe vel indirecte, mediate vel immediate specialiter dicatum est: cujusmodi Deo sacramum seu sacramum tria continet, personam videlicet, res, et loca sacra, quorum quodlibet si injuste violatur, offenditur, irreverenter, indigne tractatur, sacrilegium committitur. Can. *Nulli*, 3, cum seqq. cau. 12, q. 2.

2. *Dantur personæ sacra: et quæ?* — Porro nomine personæ sacrae, seu sacratae, veniunt clerici sæculares et regulares, ac omnes utriusque sexus religiosæ, utpote vel per sacros ordines, vel per tria vota obedientiæ, paupertatis et castitatis, ac professionem in religione per Sedem apostolicam approbata emissam divino cultui et servitio specialiter mancipati, can. *Cleros*, 1, dist. 21, can. *Duo sunt*, 7, cau. 12, q. 1, de quibus personis plenius egimus lib. II, tit. II, § 9, de *Foro compet.* item lib. III, tit. XL, § 9, de *Immunit.* *Eccles.* ubi etiam ostendimus, eis novitios quoque annumerandos esse: an autem, et quando etiam eremitæ hoc nomine gaudeant, diximus lib. III, tit. I, a n. 20.

3. *Res sacra: et quæ?* — « Res Sacra » tria genera complectitur: et primo ejus nomine veniunt sacramenta, quorum indigna tractatione sacrilegium committi, indubitatum est. Secundo vasa sacra ad susceptionem et conservationem sacramentorum ordinata, uti sunt calices, ciboria, monstrantiæ: item altaria, imagines Christi et sanctorum, eorumque reliquiæ: item sacrum Evangelium, et tota sacra Scriptura. Tertio ornamenta, et paramenta Ecclesiæ altarum, vestesque sacrae sacerdotum, ac sacerorum ministrorum; cum cuncta hæc ecclesiastica benedictione, vel alias ad cultum divinum directe vel indirecte specialiter deputata sint, indeque absque sacrilegio indigne tractari non possunt. Huc in certo sensu reducuntur etiam res et bona temporalia mobilia et immobilia. Juraque ecclesiarum, monasteriorum et aliorum piorum locorum, quia et hæc ad cultum divinum indirecte saltem ordinata ideo merito censentur, quia ad ecclesiæ fabricam conservandam et reparandam, ad comparanda, quæ pro officio divino rite peragendo requiruntur, atque ad Salaria et necessariam sustentationem ministro-

rum Ecclesiae sunt destinata, consequenter injuste violata, ablata, etc., sacrilegium secum trahunt, uti infra patebit.

4. *Et loca sacra: quae?* — Loca sacra sunt Ecclesiae, capellae, oratoria pro divinis officiis obeundis, et sacramentis administrandis per consecrationem aut benedictionem praevidiam deputata. c. *cum Ecclesia*, 5, et c. *Ecclesiae*, 8, de *Immunit. Eccles.* Ex quibus praemissis,

5. *Verus sensus regulae, quis?* — Resp. II. Verus sensus regulae VII, est: « Sacrilegium committit, et vere sacrilegus est, qui personam, res, vel loca sacra injuste violat, laedit, vel indigne aut irreverenter tractat; » quia juxta commune doctorum sacrilegium nil aliud est, quam injusta violatio, laesio, aut indigna, irreverens tractatio personae, rei, vel loci sacri, arg. cit. can. *Nulli*, cum seqq. cau. 12, q. 2.

6. *Declaratur sensus quoad personas sacras.* Declaratur sensus regulae exemplis ex jure desumptis: et quidem imprimis circa personas Deo sacras: sic enim sacrilegium committit, ac insuper excommunicationem incurrit, qui tali personae manus violentas injicit. can. *Si quis suadente*, 29, cau. 17, q. 4. Item qui fornicationem, aut aliam turpitudinem carnalem in corpus illius exercet: can. *Virginibus*, 14, cau. 27, q. 1, qui eam ad torum saeculare trahere, et jurisdictione saeculari contra eam procedere praesumit. can. *Nullus judicum*, 2, cau. *Relatum*, 14, cau. 1^a, q. 1, item can. *Bene quidem*, 1, dist. 96, *Cum concord.* et amplius diximus, lib. II, tit. II, § 9, de *Foro compet.* Item, qui tributa, vectigalia, et alia hujusmodi onera ei imponere attentat. c. *Non minus*, 4, c. *Adversus*, 7, de *Immunit. Eccles.* fuseque dictum habetur lib. III, tit. XLIX, §§ 9 et 10.

7. *Circa res sacras.* — Circa res Deo sacras sacrilegium committit, qui sacramenta indigne administrat vel recipit: qui vasa sacra, paramenta ecclesiastica ad usus profanos adhibet: qui verba Scripturae sacrae ad jocos praesertim impudicos applicat: qui reliquiis, sacris imaginibus irreverentiam exhibet, can. *Quae semel*, 4, cau. 19, q. 3; can. *Ligna*, 38; can. *Vestimenta*, 42, de *Consecrat.* dist. 1, cum concord. juncta reg. *Semel*, 51, de *Reg. jur.* in 6, ibi: « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum. » Tenentque doctores communiter merito adentes, non omnia sacrilegia esse aequalia, sed gravia vel levia pro diversitate rei sa-

cræ, et indigne tractationis, seu irreverentiae irrogatae: de quo magis theologi.

8. *Ac circa bona et temporalia.* — Sic ulterius sacrilegium committit, qui etiam res, bona et jura temporalia ecclesiarum, monasteriorum, et piorum locorum supra n. 3, ad finem enarrata injuste violat, gravat, aufert, etc., can. *Nulli*, 3, cau. 12, q. 3, ibi: « Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum (id est, ut Gloss. hic, §. *Sanctum*, bene advertit, ad usum sanctorum) Domino erit, et ad jus pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Domino et Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, et usque ad emendationem, et Ecclesiae satisfactionem ut sacrilegus judicetur, et, si emendare noluerit, excommunicetur. » De quo sacrilegii genere ob violata, gravata, ablata bona et jura temporalia ecclesiarum et locorum piorum exacte tractavimus, lib. III, tit. XLIX, §§ 9 et 10.

9. *Regula quoad personas quando fallat?* — Queritur II. An, et quæ fallentiae circa regulam hanc 7. Resp. esse praeter alias etiam sequentes: et quidem fallit circa personas sacras 1, in casibus, ubi in poenam sceleris personae sacrae privatae existunt privilegio clericali. arg. c. *Cum non ab homine*, 10, de *Judic.* c. un. de *Vita, et honest. cleric.* in 6. Fallit secundo. In casibus, in quibus non currit privilegium canonis, arg. c. *Super. eo*, 1, c. *Ex tenore*, 10, c. *Universitatis*, 24, de *Sentent. excommun.*

10. *Et quando quoad res? Vasa sacra tangere quando liceat, vel non.* — Circa res sacras, fallit primo quoad vasa sacra, v. g. calicem, patenam, corporale, monstrantiam: quæ licet, dum corpus Christi actu continent, nemo praeter sacerdotem et diaconum sine gravi irreverentia tangere queat; arg. can. *In sancta* hac, 41, et seq. de *Consecrat.* dist. 1, ac sine levi, aut veniali irreverentia, si corpus Christi actu non continent, arg. *Non oportet*, 30, et can. *Non liceat*, 31, dist. 23; tamen si perdant priorem figuram, aut ita immutantur, ut ad finem deputatum non amplius habilia sint; item si execrantur, seu justa de causa privantur benedictione, etiam a non sacratis manibus, absque sacrilegio tangi possunt: sicut et corporalia et purificatoria, si lotionem, aut refectionem indigent, dummodo a sacerdote prius laventur, uti

habet communis et universalis consuetudo optima legum interpret.

11. *Item quando quoad bona et jura temporalia fallat.* — Quoad bona et jura temporalia, fallit primo in communi necessitate habente conditiones praescriptas cit. lib. III, 49, de *Immunit.* 10, a n. 255, ubi et clerici contribuere tenentur; fallit secundo, in bonis feudalibus ad ecclesias pertinentibus, c. *Cæterum*, 5, de *Judic.* c. *Ex transmissa*, 6, c. *Verum*, 7, de *Foro compet.* in causis feudalibus enim etiam clericus feudatarius ad praestanda feudi onera tenetur.

12. *Ac loca sacra.* — Quoad loca sacra, fallit primo, si templa, ecclesiae, sacella consecrata, aut benedicta destruuntur. Tunc enim lapides et ligna sine irreverentia et sacrilegio ad usus profanos applicantur; fallit secundo, si homicidium, gravis vulneratio, notabilis effusio sanguinis in locis sacris contingit casu fortuito, v. g. ab animali, homine furioso, amente, etc. In quibus casibus ecclesia non polluitur. De quo, uti et tota materia circa vasa, et loca sacra plene tractavimus, lib. III, tit. XL, de *Consecrat. Eccles.*

REGULA VIII.

QUI EX TIMORE FACIT PRÆCEPTUM, ALITER, QUAM DEBEAT, FACIT, ET IDEO JAM NON FACIT.

1. *Difficultas regulæ in quo consistat? Timor duplex: alius filialis.* — Queritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis sensus verus illius sit? Ante responsionem notandum, totam difficultatem circa intelligentiam hujus regulæ in hoc consistere, de quo timore loquatur. Duplex siquidem, vel potius triplex est timor: filialis nempe, et servilis; hincque vel supernaturalis et bonus, vel mere servilis seu mundanus. Filialis est, quo quis Deum sicut filius patrem timet, et ex hoc timore, ne eum offendant, præcepta et mandata illius observat: qui timor in charitate fundatus optimus est, innumerisque locis laudatur et commendatur a sacra Scriptura, uti *Psal.* xviii, 10, *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* *Psal.* cxl. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* et *Psal.* xxxiii, 10. *Time Domini omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* *Psal.* cxliv, 19. *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et*

salvos faciet eos. Imo *Psal.* cx, 10, asseritur: *Initium sapientiæ timor Domini: estque unum inter dona Spiritus sancti.*

2. *Alius servilis.* — Timor servilis est, quo quis mandata servat ex timore poenae, ne eam incurrat: qui timor etiam adhuc bonus et supernaturalis est, si quis poenas sive æternas, sive temporales quatenus a Deo ob transgressionem mandatorum suorum juste infliguntur, merito timet, et ideo ex timore earum, vel potius ex timore Dei mandata illius observat, ne alias ab ipso hic vel ibi juste puniatur. Cum enim hic timor Deum nullatenus excludat, sed eundem, et justitiam illius respiciat, ac ne per violationem mandatorum eum offendant, sicque propterea ab illo juste puniatur, recte timeat, et hoc timore impulsus mandata illius observet, merito ex timore Dei poenas juste infligentis, sicque ex bono adhuc timore, utpote supernaturale adhuc principium habente mandata observare censendus est; dummodo timor non finalis, et ita principalis sit, ut, si poenae non essent, mandatum non observaret, et Deum offendere non curaret: si enim constitutus Deum et justitiam debite non respiceret, nec voluntatem peccandi exclusam, sed inclusam habere.

3. *Alius bonus, et utilis.* — Cæterum hunc timorem pariter innumeris in locis sacrae paginae, praesertim Veteris Testamenti etiam approbant, ac ut ex timore poenarum a Deo juste infligendarum mandata divina observentur, integris capitulis hortantur, uti *Deuteron.*, i, iv, viii, xi, etc. Sicut etiam in Novo Testamento ad observantiam mandatorum, et timorem Dei juste punientis, Christus ipse poenarum minis hortatur: *Luc.* xii, 5. *Time eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Et concil. Trident. sess. 6, cap. vi, fatetur, timore justitiæ divinae peccatores utiliter concuti, illumque ad justificationem concurrere, quod magis ad propositum confirmat, sess. 14, cap. iv. dicens: « Contritionem imperfectam, quæ ex gehennæ et poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei, et Spiritus sancti impulsus esse. »

4. Porro etsi n. praeced. declaratus timor servilis tam bonus ac meritorius sicut timor filialis non sit, utpote charitate minus vestitus, tamen ad ejusdem qualitates, et charitatem Dei bona intentione ac reflexione